



A Germ: 973.

Hist. Circ. Sax. Super. 57.

Q. D. B. V.

TRIUMPHUM
PACIS
DANO-HOLSATICÆ,

ANNITENTE

Cum AUGUSTISSIMO IMPERATORE
SERENISSIMOQUE ELECTORE SAXONIÆ

Serenissimo atq, Potentissimo Principe ac Domino,

DN. FRIDERICO III.

MARCHIONE BRANDENBURGICO,

S. R. I. ARCHI-CAMERARIO & ELECTORE, &c. &c. &c.

Domino ac Nutritio Nostro Clementissimo,

Nupera XX. Junii constitutæ,

ORATIONE PUBLICA
EX LEGE STIPENDII ELECTORALIS
HABENDA,

Ad d. XIV. Decemb. Anni b. M. DC. LXXXIX. Horâ XI. Antemer.

IN AGROATERIO MAJORE

Proponet,

PEREXIMIUS JUVENIS

JOH. GEORGIUS SCHARDIUS,

BEROLIN. MARCH.

AD QUAM AUDIENDAM

Magnificum Universitatis RECTOREM,
Illustrem atqve Generosissimum Baronem,
Proceres Universitatis ac Cives Honoratissimos

Quâ par est humanitate

INVITAT

TIDO HENRICUS à LITH,

Eloquent. Prof. Publ. Ordinar. & Civ. Francof. Consul.

Francofurti ad Viadrum, Typis Johannis Cœpleli, A. T.



Uod agitatum quàm diu, cura-
tissimisq; IMPERATORIS, ELE-
CTORUMq;ve SAXONIÆ & BRAN-
DENB. studiis, REGUM etiam PRINCI-
PUMq; indefessis curis susceptum, *Amplis-
simis Legationibus* providentissimè admi-
nistratum gestumq;ve, tum conceptis atq;ve effusis, non *Se-
ptentrionis* modò ac *Germania*, sed universæ, quàm meliores sequi-
tur partes, *Europæ* votis provectum, sæpè & difficultatibus suis,
& hostium machinis elisum ferè, mox elaboratum acriùs DA-
NO-HOLSATICÆ PACIS negotium est; illud XX. tandem
JUNII transactum esse confectumq;ve feliciter; tam insigne præ-
dicandumq;ve facundissimorum hominum linguis argumentum
est, ut vix aliud illustrius omniumq; temporum memoriæ com-
mendari dignius sit. Dissimulare enim, aut præterire silentio,
quantùm rei Christianæ commodi atq; emolumenti hac PACE pa-
ratum partumq;ve sit; quid aliud esset, quàm aut non agnoscere
ineffabile & latè ubiq;ve diffusum DEI beneficium, aut MAXI-
MORUM PRINCIPUM virtutem decusq; negligere? Neq; enim
tantùm de *REVERENDISSIMI atq; SERENISSIMI HOLSATIÆ
DUCIS* etli latissimis opulentissimisq; regionibus, illaq;ve singu-
lari dignitatis eminentia ac ceteris etiam rebus, quæ in fortu-
næ bonis cenleri solent; sed de *POTENTISSIMORUM* simul *RE-
GUM*, validissimarumq;ve in mutuas cædes & acre exitiosumq;
bellum confurgentium nationum quiete actum est; quarum in-
nexa communibus libertatis ac religionis causis tam arctè com-
moda sunt, ut in his simul non minùs Germaniæ, quàm piorum
orbis Christiani Principum populorumq; rationes verti visæ sint.
Quæ ratio est, quare cum MAXIMORUM, in impeditissimæ dissen-
sionis compositionem validissimis auctoritatis consiliiq;ve nervis
elaborantium PRINCIPUM pietate, ac cæterorum etiam de-
sideriis & spe, illi divini ac humani juris boniq;ve eversores ho-
stes, artibus omnibus ac votis olim contenderint; non minùs
turbis illis, ex quibus gravissimum concitari posse sperabant bel-
lum, quàm armis atq;ve immanitati suæ confisi. Quodsi

in.

in ista etiam Germaniæ parte nunc exarsisset; quædam quasi calamitatum illuvies, profundo mileriarum tantum non submerlam patriam hausisset penitus. Itaque suspenso tunc animo expectabamus, quò evalurus esset gravissimus ille stantium utrinque in partibus *Regum Principumq;* dissensus, de tuenda pace, in tam acerbis atque diversis pro se nitentium cupiditatibus & votis, quæ aliud ex alio impediret, læpiùs desperantes planè, mox quasi integra adhuc causa, contendentium æquanimitate & conciliatorum providentiâ nisi, in novam spem ingredientibus iterum. Agitabant in diversa animos nostros maxima rerum per Europam omnem perturbatio illaque varietas temporum; alibi nondum constituta satis munitaque, alibi inclinata rei Christianæ salus, illudque calamitosissimum ac incredibile imbutum rabie bellum, excisæ, perustæ, everisæ regiones florentissimæ. Subibat etiam omnis illa *Potentissimorum in Septentrione REGUM*, qualem vix antè unquam coegerant, vis, collectus undique ac finibus propè Germaniæ terra marique; inductus exercitus, omnis ille belli apparatus, arma, numeri, machinæ, erectæ & in signum moventis intentæ instructissimæ legiones, ipsi denique contra se invicem stantes testatæ fortitudinis summæque virtutis *REGES MAXIMI*. Itaque convulsa sæpiusculè, tandem intracta penitus everisæque compositionis spes videbatur, cum contortis planè implicatisque rebus interveniret demum Deus, illamque tot gentium administratam consiliis & mille votis expetitam Pacem constitueret, quâ illæ recens modò, ac paulò antè planè, per *Serenissimum Electorem FRIDERICUM III.* partæ, atque à cæteris etiam propè jam adeptæ de ferocissimo hoste victoriæ stabilitæ, quin & universa exinde res Christiana levata mirificè, junctisque *Potentissimorum Assertorum* manibus erecta denuò est. Ita enim omninò statuendum, singulari quadam ac præcipua in suos benignitate motum tandem *Supremum Numen*, generosam illam mentem inæstimabilemque magnanimitatem *disidentibus partibus* inspirasse; neque minùs concordie conciliatoribus pariterisque *Principibus*, & qui per hos in *Pacificatoriam* illam legationem missi fuere, insignem illam inusitatamque virtutem ac prudentiam indidisse; ut & illi, irâ suâ invictisque animis victis, necessitatibus publicis sua commoda postferrent; hi verò superandis innumeris difficultatibus atque aream quasi belli jam ingressis *REGIBUS* in amicitiam mutuamque consensum reducendis sufficerent. Quòd si igitur pro aliis, in singulos subinde collatis beneficiis agere gratias Deo convenit; quantò magis ob hoc ipsum quidem id facere par est, in quo publica communisque tot gentium felicitas, & quod in vita jucundissimū est, vertitur; simul verò concelebrare eorum laudes, quorum
confi-

consilio & industria, hæc tanta tamq̃ve præclara res administrata est. Ad quod genus pietatis cum se non una ratione obligatum imprimis videret

PEREXIMIUS JUVENIS

JOHAN. GEORGIUS SCHARDIUS,

Berolinensis Marchicus,

suasu ductuq̃ve nostro, præclarum impetum cepit, *Oratione publica* prædicandi bonitatem illam *Numinis* meritaq̃ve *Maximorum Principum* in meliorem orbem, atq; adeò communis salutis gaudiiq; materiam suis partibus atq̃ve argumentis explicandi exponendiq; plenius. Quod institutum ejus, ut complectendum modis omnibus, & præter ceteras ejus virtutes studiaq̃ve, quibus per triennium admodum se nobis probavit egregiè, prædicandum meritò est; ita neminem tam aversum ab humanitate putamus, qui, non favere ei ultrò velit, atq̃ve utraq̃ve manu applaudere. Ne tamen officio nostro defuisse videamur;

MAGNIFICUM UNIVERSITATIS
RECTOREM,

ILLUSTREM ATQUE GENEROSISS. BARONEM,
PROCERES UNIVERSITATIS ac CIVES
HONORATISSIMOS,

sumta de eorum æquanimitate plenissimâ fiduciâ, rogamus, ut studere pietati nostræ sedulò, frequentesq; nobiscum adesse oranti Pereximio Juveni velint; ut sic ex ipsa Panegyris celebritate constet, agnoscere omnes divinum beneficium, eorumq̃ve per quos id partum est, merita, eoq̃ve securiùs de duratura apud eos memoria sperare licere, quò summæ maximæq̃ve virtutes illæ in animis omnium dedicatæ & consecratæ magis fuerint.

P. P. in Universitate Electorali Brandenburgica quæ ad Viadrum est, ad d. XIV. Decembris
Anni MDCLXXXIX.



Geb. (Chur) d. Theologischen (Vorlesung) (Diel) (und) (Fur) (den) (allgemeinen) (Gebrauch)

